ORATIO PANEGIRICA

QUAM

IN LAUDEM

EGOLPHI A KNOERINGEN

EPISCOPI QUONDAM AUGUSTANI

DIE EJUSDEM ANNIVERSARIA

XI. MARTII M.DCC.LXVIII.

ANGELOPOLI IN TEMPLO ACADEMICO

recitavit

ADAMUS WEISHAUPT

LEGUM p. t. STUDIOSUS.



INGOLSTADII

Typis JOANNIS CAROLI GRAN, Typographi Academici.



ORATIO.

RECTE ac ſapienter A. A. voluerunt Majores noſtri, ut quæ a viris ſummis in hac Anglipolitana eſſent immortaliter geſta, ea publicos quosdam factorum ſuorum præcones nanciſcerentur, qui dicendo nobis & debiti noſtri quantitatem exhiberent, & virorum ſimul omni ævo immortalium memoriam animis noſtris reſtituerent. Ego licet nec annis nec officii dignitate, nec ſermonis gravitate ad oratores illos me vel tantiſper accedere ultro profitear: Illud tamen, cum hocce ſtudiorum meorum curriculo innata quadam ſciendi atque auſcultandi cupidine in hanc ædem ſacram hoc ferme tempore me frequenter conferrem, ſæpe veluti indignabundus deprehendi, multa quidem ab illis nova, multa illuſtria coram afferri, quibus tamen una loci atque temporis importunitas multum de venuſtate ſua, multum de auſcultatione veſtra detraheret. Id enim ab illis continuo actum iri repetita attentione animadverteram, quod argumentum quoddam a tempore, ab inſtitu-

to majorum alienum omnino arripiant: tum vero ubi mox ſuggeſto diſceſſuri forent, nomen quoddam illuſtre aliquoties inclament, ut eo ſolo divinaretis, de quo facto, de quo viro ipſis dicendum fuiſſet, ſi tempori & loco magis quam genio ſuo indulgere maluiſſent. Illud præterea homines illi multo cæteroquin nomine inſignes graviſſime peccant, quod in viros tantos, quorum laudes pro viribus aſſequi debuerant, iniqui plane atque injurii exiſtant, quaſi ab illis non geſtum, non ſcriptum fuiſſet, quod veſtra auſcultatione ſatis dignum vobis coram proponerent.

Ego quidem P. A. ut primum in laudem EGOLPHI KNOERINGII, cujus viri hodie diem anniverſariam agimus, Vicario nomine diſſerendi provincia a vobis mihi delata fuiſſet: id continuo in animum induxi, ut primitus, habiti mihi tanti honoris grates publicas vobis referrem, quod me hominem novum atque juvenem, & dicendi omnino expertem ex tanta feliciſſimorum ingeniorum ubertate unum delegiſſetis, quem viri tanti atque immortalis ευκωμιαςην deſtinaretis. Tum vero ubi ignorantiam meam eſſem deprecatus, ad ſecundas me curas converti, ne quid ex imbecillitate mea maculæ potius quam gloriæ in EGOLPHUM proficiſceretur. Diu igitur graviſſime mecum luctabar, quid in viro ſummo, ubi omnia ſumma eſſent, maximum exhibere vellem. Videbar mihi in hortum quendam & ſui pretio, & rerum amænitate ac varietate ſingularem adeo fuiſſe delatus, ut oculum huc illucque vagantem diu veluti ſuſpenderet, quo primo, quove ultimo ſe faſcinatum vellet: Cum illi qui ante me huc ad dicendum aſcenderant, illic non niſi dumeta & vepres deprehendiſſent. Illi quod de EGOLPHO dicerent, ſibi deficere querebantur, ego ubi ordiar, ubi finiam, quid prius, quid

quid postremum verbis exornem, anxius disputo. Multa de EGOLPHO Herbipolenses, plura Augustani stupenda prædicant: propiora tamen huic Academiæ se offerunt, quam Magistram suam singulariter adeo complexus est, ut eam vivus adhuc lectissima librorum suorum substantia locupletaret. Nihil amori tanto fuga temporum, nihil absentia, nihil dignitas Præsulis Augustani detraxere: id potius agitabat, ut quo plus annis, quo plus dignitate, eo magis etiam studio atque amore erga Anglipolitanam cresceret. In hoc mihi proximius intuenti vicit deliberationem cogitatio: EGOLPHUM *uno hoc facto tantum ad immortalitatem suam fecisse, ut si illum historiæ Præsulem minus ferventem, litteratorem minus celebrem exhiberent, ejus tamen existumatio, apud omnes æquos rerum æstumatores summa, & non nisi ultima hujus orbis necessitate interitura fuisset.*

Date hoc A. A. viro summo, & in tantam liberalitatem vestri studio profuso, ut qui vobis adhuc nascituris jam provide consuluerat, eidem hocce temporis benevoli impendatis, quod lineolis hisce ejus immortalitati consecro.

Quo ad modum anno ad hoc athenæum EGOLPHUS accesserit, quantumque temporis ibidem in studiis collocarit, commune fastorum nostrorum silentium est. Nec ego in re dubia adeo atque ancipiti certi quidquam definire ausim, cujus determinandæ spes exigua apparet, nisi Academiæ documenta, proximiora quædam doceant, quæ desuper inspiciendi facultas mihi deficit. Illud certum est, id sub medium sæculi decimi sexti contigisse, cum ROTHMARUS author sit, eum anno ejus sæculi sexagesimo *Angelopoli Friburgum Brisgoiæ* migrasse. Erat illis annis is Academiæ hujus splendor,

dor, eaque existumatio, ut omnes ex omni orbe scientiæ in eam solam confluxisse viderentur; erat tantus discentium confluxus, ut nulla gens humanior, nulla ferme provincia remotissima licet, inventa fuerit, quæ non conterraneos suos Ingolstadium ablegasset, scientiæ insigniter haustæ fructus immensos in patriam relaturos.

Date jam A. A. date hanc Oratori vestro veniam, ut tantisper a tramite suo declinet, mox in eum rediturus, genio ve paulisper satisfaciat. Neque enim continere me possum, quin virorum tantorum memoriam vobis restituam: ita me amor vestrum omnium, ita gloria vestra me urgent. Neque id EGOLPHI laudibus quicquam detrahet, si dicendo commemorem, quantis Magistris vir tantus profecerit.

Erat sub id tempus Facultas sacra, uti etiam temporum illorum ratio postulabat, quot Doctorum, tot quasi Deorum feracissima. BALTHASAR FANNNEMANUS ex ordine Prædicatorum Episcopus Missiensis & Suffraganeus Hildeshemiensis pro Deo & fide patriæ exul: GEORGIUS THEANDER Aubinganus Bojus, uno postea anno Rector, Vicecancellarius, Antecessor & Parochus: MICHAEL WAGNERUS Ræthus pro fide orthodoxa contra vicinam adeo & in ipsa pæne Bavaria domesticam Lutheri hæresin e cathedra argumentorum invictissimorum robore ac vi fortissime depræliabantur. His veluti in auxilium dati, non quod illi soli sibi non sufficerent, sed quod vis conjuncta fortior esset, venerant ex Belgio a Serenissimo Duce ALBERTO huc ad nos evocati invictissimi Christi Athletæ Patres e Societate Jesu, ALPHONSUS SALMERON Hispanus Bibliorum Interpres, & Ecclesiæ in Concilio Tridenti congregatæ communis admiratio, PETRUS CANISIUS

vel

vel sola nominis sui recordatione & hæresi e terris Bavaris feliciter pulsa omnino summus, NICOLAUS GAUDANUS & JOANNES CUWILLONIUS Insulensis Flander. In Legum interpretatione versabant FRANCISCUS ZOHANNETTUS Patricius Bononiensis & in Alma quondam Bononiensi Ordinarius. BARTHOLOMÆUS ROMULEUS Nobilis Florentinus, WOLFFGANGUS HUNGERUS & NICOLAUS EVERHARDUS, cujus hic tumbæ insisto, & quem monumenta hæcce ex utraque hac parte erecta virum summum me altius inclamant. Ex Facultate saluberrima unum JOANNEM AGRICOLAM HAMMONIUM nominasse sufficiat, virum omnino Θαυμαστον & plurimis elucubrationibus insignem. Fallor, aut Philosophiæ, artiumque liberalium, cum his omnibus super nominis fama, atque summorum Doctorum provenuo, acerrima quædam concertatio extitit? date mihi A. A. hominem illum litterariæ historiæ adeo rudem, qui litteratorem illum & criticum summum VITUM AMEBACHIUM Wembdingensem nequidem nominis compellatione cognoverit! Parum ille sciverit, qui PETRUM APPIANUM ignoret, quorum hic in Mathematicis ille in Aristotele interpretando sub id tempus versabantur, insuper JOANNES BORICHIUS Græcam, PAULUS ÆMILIUS Romanus Judæus linguam hebraicam, JOANNES PEDIONÆUS Oratoriam atque Poeticam profitebantur.

Atque hæc erat Angelopolitanæ nostræ facies, hic splendor, qui EGOLPHUM laribus patriis, ab illustrissimorum parentum complexu huc ad nos evocarat, non sine quodam Numinis afflatu, ut magni omnes uno tempore in unam urbem confluerent. His Magistris spiritum immensum explicuit, horum alis ad æternitatem eniti, & sepulchro altius jacere didicit!

Hæc

Hæc quam illuſtria cuidam videantur, fuere tamen aliqua, quibus Angelopolitana adhuc laborare EGOLPHO ſedulo notabatur. Noverat ille, quid enim viri ejus induſtriam ſubterfugere potuiſſet? noverat ille, quantum e re Academiarum ſit, illas Bibliothecis publicis eſſe inſtructas. Noverat ille, nihil dignius, nihil prius antiquiusve homini litterato incumbere, niſi quod de illis ſibi comparandis, induſtriam ſuam omnem exerceat. Neque illud ignorabat, qui gentium omnium omni tempore in ea re conatus & labores extitiſſent. Non noverat modo, quin continuo conſilium cæpit regium illud atque gentis PTOLEMAICÆ æmulum trophæum quoddam non ex ære, non gentium devictarum ſpoliis, non ſuper urbium bello everſarum ruinis, ſed maxumorum virorum ingeniis exſtruendi, ut aliquando haberet, quo in Angelopolitanam ſuam regie ac utiliter prodigus eſſent. Erant enim id temporis *Ingolſtadii* Bibliothecæ omnino nullæ, licet privati, quorum etiam conſilio in coemundis libris EGOLPHUS multum adjuvabatur, adeo φιλοβιβλοι eſſent, ut librorum conquirendorum ſtudio vix non inſanire viderentur.

Dum hæc animo moliretur, ſubito *Angelopoli* ceſſit, *Friburgum Brisgoiæ* ſtudiorum ergo petiturus, cujus tum inſignis fama ab HENRICO GLARCANO erat: ibi cum eo viro græce latineque doctiſſimo aliquo tempore familiariſſime uſus eſſet, eo GLAREANUM permovit, ut magna auri ſubſtantia numerata librariam ſupellectilem in ſe transferret, hac tamen lege, ut ejus utilitas, quoad viveret, penes GLAREANUM foret. Hoc tamen parum adeo orexin ſuam EGOLPHUS expleverat, ut ipſus potius doctiſſimorum hominum labores coram conquireret. Abiit Italiam, & in mediam adeo Romam ibi non in Cardinalium modo colloquium, & amicitiam ultro

ultro admissus, sed summi quoque Pontificis favorem ita obtinuit, ut Comitis Palatini Lateranensis dignitate ab illo ornaretur. Roma Italiaque perlustratis, Belgium, inde Imperatoris quoque aulam invisit, in qua ut Rothmari verbis utar, nemo ex Proceribus aulicis tanti vel nominis, vel authoritatis, vel generis splendoris erat, qui non de KNOERINGIO præclare sentiret, ejus amicitiam exoptaret, contractamque sancte coleret: eam denique existumationem sibi conciliaverat, tot amicos conjunxerat, ut posteris temporibus rarò ejus ædes præclaris hospitibus carerent. Accedit, quod Imperator itidem, ut summus Pontifex Comitis Palatini dignitatem, aliasque immunitates in eum contulerit. Has ille regiones & sciendi, & aliis benefaciendi studio perlustrarat. O grandem, o beneficam animam, quæ aliorum amore terra patria se ultra contineri non patiatur, quæ si vel trans orbem fuissent, queis suis prodesset, vel trans orbem cucurisset!

Ita libris & dignitate feliciter auctus, Belgio, Italia & Germania perlustratis: tandem peregrinationibus modum posuit, ad res domesticas rediturus, ut se totum Deo, Ecclesiæ, humano generi, optumis artibus, & tandem Anglipolitanæ suæ consecraret: atque ita se consecravit, ut thesauri sui tot laboribus, tanto auri dispendio, tantis viarum anfractibus conquisiti usu longiore ultro ac penitus se abdicaret, eumque in alios transferret, quibus opum & rei familiaris penuria solidiore, scientiarum acquisitione interdicerent. Bibliothecam igitur suam ex GLAREANI insignis Historici libris primitus comparatam, tum novorum quoque voluminum accessionibus egregie auctam Ingolstadianæ Academiæ vivus donavit, eamque omnibus, ad communem studiosorum usum patere voluit: Denique annuos constituit reditus, queis Biblio-

bliothecarius ali, Bibliotheca conſervari, augeri, & locupletari poſſit.

O ſummum, o extremum regiæ etiam munificentiæ gradum! EGOLPHE ut aliis bene eſſet, pretioſiſſimis te ipſum facultatibus exuebas! aut ſi cui hæc minora videantur, quid denique homini illi magnum quid æternitate dignum videbitur? Ego ſane A. A. neque enim quidquam diſſimulare vellem, quod fruſtra diſſimulavero, facti hujus ſplendore ita me commoveri profiteor, ut virium, quarum tamen in dicendo uſus foret, vix ac ne vix quidem in me quicquam ſuperſit. Video enim in hoc uno tanta tamque illuſtria contineri, ut dies me dicentem deficeret, ſi vel aliquam eorum partem pro meritis exequar. Ea igitur attingam, quæ primis ut vocant labris, rem guſtanti prima ſe ſiſtunt, ac veluti invocata occurrunt.

Erant id temporis, atque utinam ævo noſtro nunquam exiſterent! adoleſcentes lectiſſimi ingenii acumine, & ceteris animi dotibus feliciſſimi: ſola tamen fortunæ calamitate, atque invidia ita oppreſſi, ut nec alimentorum, nec litterariæ ſupellectilis quidquam proprium haberent. Quid agerent juvenes miſerrimi? Urgebat ingenii facilitas, judicii matureſcentia, memoriæ pertinacitas, ut ſingulari quodam æſtro ad optimas artes raperentur: obſtabat, ac veluti magnis ictibus ab oſtio ſapientiæ repellebat, inopia, fames, ac extrema adeo egeſtas. Quid agerent? quos Numinis clementia animi dotibus priores multis, fortunæ invidia divitum ludibrio ac deriſu inferiores collocavit? recederent a ſapientiæ firmiſſimo complexu, ac ad infima quævis ſeſe reciperent, modo illis etiam mediis ab egeſtate ſe tantundem auferrent?

Hoc

Hoc certe reliquum fuerat, nisi EGOLPHUS beneficio suo plusquam regio, illis inopiæ levamen, sibi immortalitatem dedisset! horum infortunio condoluit, & ut quicquam malorum illis subduceret, vivus repetita donorum profusione, mortuus hac litteraria supellectile consuluit, ut certis diebus hoc maximarum animarum Pritanæum accederent, & virorum summorum ingenia super fatis suis explorarent. Horum gemitus, quos liberalitate sua sæpe suppressit, hoc viro summo summum humanitatis officium extorserunt; hæc æternitatem illi conciliarant, quam a propriæ gloriæ studio aut domesticis rationibus frustra exspectaturus fuisset.

Sed ut hæc minora videantur, alia videlicet efficiunt, quæ majora insequuntur. Cum enim ipse ulterius beneficentiæ studio progredi non posset, id etiamnum exemplo suo effecit, ut benefacta hæc sua veluti ingens quidam fluvius aliorum accessione ultra ripam quoque se attollerent. Nam contigit: ut exiguo post ipsum tempore ingentia nomina ALBERTUS HUNGERUS & MARTINUS EISENGREINIUS Stuttgardianus, quorum hac in æde sacra me cineres audiunt, RUDOLPHUS item CLENKIUS, & recentissima vestrum omnium memoria GEORGIUS HAGENIUS nuper admodum fato felicissime functus, pro suo in Academiam nostram fervore illum lectissimæ suæ librariæ supellectiles hæredem testamento scripserint: quibus accessionibus Bibliotheca nostra exiguo temporis lapsu ad tantam magnificentiam accrevit, ut librorum tum impressorum, tum manuscriptorum codicum, & vetustate, & raritate, & quantitate omnes ferme Germaniæ Bibliothecas solam Vindobonensium si excipias, impune provocet. Cujus asserti mei & rationes multas afferre possem, & multum roboris adderem, si singularum Facultatum thesau-

ros dicendo percurrendi animus mihi foret. Illud solum dicam, quantum in glotticis præstemus: neque enim temporis præfixi angustia patitur, ut quantum etiam vellem, ad reliqua convertar, quæ æquum rerum æstumatorem intuendo magis, quam recitando persuadeant. Hoc solum tacitus prætermittere non possum, tum quod peregrinæ hujus supellectilis pæne incredibilis nobis contigerit copia, tum quod ex illa singulare quoddam ornamentum Bibliothecis accedat. Quæ igitur ora, quæ Europæ vel Asiæ provincia, quæ non partem aliquam in hac linguarum farragine haberet? sunt enim nobis non ex occidente solum plurimarum linguarum idiomata chartis manu vel typo impressa, Galliæ, Italiæ, Hispaniæ, Belgii, Angliæ, Hiberniæ, Poloniæ, Bohemiæ, Serviæ, Sclavoniæ, Hungariæ, & Illiriæ: sed ex ipso adeo Oriente Græci, Hebraici, Arabici, Chaldaici, Syriaci, Sinici, Turcici, Æthiopici, Persici, & Armenici.* O vere turris Babel, non impiorum vesania, sed hominum summorum sollertissima indagatione constructa! quantum tibi lustri, quantum augmenti cum Clenckiano thesauro accessisset, quem certo mihi constat aliorsum in hac urbe detineri. Atque hæc mihi leviter exploranti in linguis se offerebant, erunt fortasse ampliora, quæ industriam meam subterfugere maluerant, ne ulteriori Elencho mihi aliquid fidei apud vos decederet.

Atqui hæc omnia unius hominis vel labore, vel authoritate saltim, atque exemplo ad nos pervenerant. O nos rerum

tantam

* Nemo quis facile crediderit, fore vitum aliquem, qui hac peregrina supellectile uti possit. Contigit tamen singularis universitatis bono, ut modernus S. Scripturæ Professor Bibliothecæ Academicæ proficerétur, qui solus longo post tempore tantarum linguarum usum facere potest.

tantarum possessione felices! o feliciorem illum, qui hac librorum suorum farragine æterna insimul suæ scientiæ documenta ad nos transmiserit! Enimvero qui multa de viro quodam litterato, qui illius scientiæ ambitum intimius rimari velit, is relictis ab eodem libris perlustrando gnaviter inhæreat: sunt enim illi argumenti instar efficacissimi, quo de mortuorum eruditione evidentissime conjiciamus. Adeo ut si nihil historiæ de KNOERINGIO prædicarent, nisi quod traditio Bibliothecam hancce illius esse ferat, hoc uno judicaturus forem virum illum, qui tot & tanta collegerit, fuisse summum.

Ego certe, quoties Bibliothecam hanc, *nostram gloriam* ingredior mortalis cum immortalibus ad momenta aliquot conversaturus, videor mihi virum illum, quem sæpe jam immortalem compello, deliciis suis acriter incubantem intueri: ut divinos illos Codices volutat, ut in ambiguis ejusdem locis, sanctorum Patrum, aut Ecclesiæ mentem consulit. Video Basilii & magni illius Gregorii gravitate ac splendore, Theodoreti in dicendo Comitate, Tertulliani vi, Clementis varia ac incredibili scientia, Hilarii Cothurno, Chrysostomi melle, Augustini acumine, Hieronymi cælesti in scribendo ardore, & singulari omnis antiquitatis & linguarum peritia, magnam illam atque excelsam animam præparari, quæ aliquando Sedi Augustanæ tanta nominis sui celebritate præfuerat. Video te EGOLPHE hominum actiones, ad æquissima, simul & latinissima Pandectarum volumina ponderantem: video te apum instar scientiarum, atque artium omnium veneres ita delibantem, ut nec illas excluderes, quas multi ævo nostro nolis vitio dant, dum temporis in illis inaniter collocati repetundarum reos nos agunt: nil adeo vile, nil abjectum in libris deprehenderas, quod non felicissima quadam metamorphosi

phosi in usus tuos converteres: Audio te denique cum in græcis latinisque litteris te continuum animadverto, sciolis ævi nostri, atque omnis græcanicæ eruditionis contemtoribus, Erasmianum illud fortiter atque assidue acclamantem: *Hoc unum expertus video, nullis in litteris nos esse aliquid sine græcitate.* Neque ab his tuis adhortationibus, hodiernum quiquam temittis: tu Primipilus viris omnibus, qui post te erant, facem prætuleras, tu signaculum immortalitatis adipiscendæ prior extuleras. Tuum igitur est, quod ex Athenæo nostro, veluti equo illo Trojano tot viri summi descenderint, ac etiamnum descendant: Tuum est, quod difficilem illum sapientiæ tramitem omnibus æqualiter complanaveris: Tuum est, quod fortunæ invidia oppressi homines animos ita feliciter excolant, de cujus cultura antea inviti, ac flentes desperabant, priusquam tu maximus ille Apollo fortunæ iniquitatem fortiter adeo veluti pugno percuteres. Tuum est, quod Angelopolitana hæc libris atque existumatione tantum accreverit. Tuum est, quodcunque Doctorum quorundam benevolentia in nos proficiscetur postea. Tua hæc sunt omnia atque erunt perpetuo tua.

Tu quidem excelsa anima, soluta parte tui imbecilliore, de terra, de morte ipsa, quamdiu venientem magna animi præsentia atque perseverantia provideras, multum triumphasti! quod in te Caducum, quod in te corrumpi poterat, partem ejus morbi biennalis vis paullatim consumpsit. Quod e morbo restabat, tellus jam tenet. Sed vivis adhuc, & plus adhuc vivis quam si præsens hanc auram duceres: Tu in ore, tu in animo eris omnium, nominisque magnitudine orbem universum, diuturnitate famæ vastam temporum profunditatem æquabis. Vivis adhuc, & ducentis jam ferme annis post fata vivis:

vivis: non enim tibi sed Anglipolitanæ tuæ vivere volueras: Hanc quod amares, quod illi prodesses, vitam tuam dicebas. In hanc vitam nec vetustatis injuria, nec fuga temporum quidquam possunt. Fecisti aliquid, quod sit vetustate fortius, quod tempore firmius. Hoc nunquam tuum desinet esse. Vivunt hæc tua beneficia, tu in illis, atque in dies se magis exserunt. Atque utinam thesaurus ille tuus integer ad nos pervenisset! sed bellorum iniquitas, & belligerantium non humana rabies id effecerunt, ut beneficii tui magnitudinem reliquiarum quarundam quantitate metiamur. O thesaurum ingentem in re æterna non æternum, qualem te dicam antea fuisse bonum, tales cum sint reliquiæ! O gentem barbaram! cui in vivos sæviisse parum sit, nisi insimul mortuorum famæ atque immortali insidias collocet! sed fregit iniquos hosce hostium conatus, atque aliquam substantiæ tuæ partem illæsam nobis Deus servavit, magno sane argumento, non beneficiis tuis, sed tibi soli a nobis honorem esse habendum, non quod liberalis & utiliter prodigus, sed quod virtute & scientia summus fuisses. Salve igitur, salve stator artium, atque meo ore adstantium omnium vota suscipe, & si quidquam humanæ cogitationis in te est relictum, si tuorum adhuc curam geris, quos vivus tenere adeo complexus fueras, oculos tuos ab æterna illa bonorum omnium affluentia tantisper revoca, & & quandoque huc in nos converte. Vigila super hoc Athenæo, & super amplissimis hisce viris, qui tui studio, atque amore huc laudes tuas auscultatum confluxerant. Vigila, & interea usque dum æternitas nos tibi jungat, salve,

ave, & vale.

